



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Liber De Prvdentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. IX. Hortatur ad sacram communionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

seruus meus Dauid de peccato admonitus protulit, dicens ex intimis præcordijs, Peccaui. Et ego transferam à vobis peccata vestra: & effundam super vos aquam mundam, atquè mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et propter conscientix testimonium luctus vester vertetur in gaudium: secundum multitudinem quippe dolorum vestrorum, quibus afflixistis corda vestra, intimæ cõsolationes meæ latificabunt animas vestras.

## CAP. IX.

*Hortatur ad sacram communionem.*

**E**GO æterna sapientia ædificauimihidomum humanitatis meæ, & vt facerem conuiuium pinguium medullatorum, miscui vinum pretiosissimi sanguinis mei, & posui mēsam, ita vt panis conuiuiarum esset purissima caro mea. Et postquam instruxi lautissimum conuiuium, non quieui: sed misi ad plateas, & mænia ciuitatis, seruos meos, & inspirationes meas, vt cordibus hominum loquerentur, & dicerent: Venite, comedite panem meum, &

um, & bibite vinum, quod miscui vobis. Nunc autem pauci valdè sunt, qui vescantur vitalissimo pane meo, quasi omnem saporem suauitatis, non haberet. Viæ Sion lugent, eò quòd non sit, qui veniat ad solemnitatem meam, qua corda casta dilatantur. O quàm stulti sunt Adè filij, qui per escam mortui sunt, & per escam viuificari nolunt. Quid est hoc? Quid optabilius, & suavius inuenire possunt, qui delectamenta mundi requirunt? Vbi est sincera fides, & purus amor, cuius nutrimentum, & fomentum, panis de Cælo missus, factus est? Certè facies Christiani populi exusta videtur, quasi non esset triticum, & vinum: & pellis eius, consumpta carne, ossibus siccis adhæsit. Ventum est enim ad calamitatem magnam, eò quòd plurimi filij Ecclesiæ sponsæ meæ, semel tantum in anno, panem vitæ comedunt: & libertatis genus existimant, ad frequentem communionem non accedere. O stulti, & tardi corde ad credendum, & diligendum me? Nonne oportebat, quasi graue mortis supplicium

Cium timere, non ampliùs, quàm semel  
in anno, pane viuo refici? Quare ergo  
supplicium hoc ipsi Adæ filij sponte  
sua sibi sumunt, & fame mortalissima  
ficcantur? Non est sanum consilium  
hoc: ingratiſſimo, & durissimo corde  
digna est alienatio hæc. Vos ergo filij,  
qui desideratis viuere propter me, fre-  
quenter manducate me. Aperite mihi  
penetralia cordis vestri, & intra visce-  
ra vestra meæ dulcedinis auida, recon-  
dite me. Dilatate os vestrum, & imple-  
bo illud: & extensis desideriorum bra-  
chijs amplectimini me. Certè tantus  
esse deberet dulcissimi panis amor, vt  
nequè diebus, nequè noctibus, ab alta-  
ri, vbi seruatur sacramentum meum,  
recederetis: Solaque ineuitabilis ne-  
cessitas vos ab eo loco violenter ab-  
straheret. Recedite ab eis, qui me dere-  
linquunt, & recedentes à me, non in  
cælo, sed in terra scribuntur, quorum  
alius discedit in villam suam, alius du-  
cit vxorem, alius vadit ad Babylo-  
nicam negotiationem suam. Imitamini  
filios primitiux Ecclesiæ meæ vnani-  
mes in domo, & sæpissimè communi-  
cantes

cantes in fractione panis, quo viuitur,  
 & aperitur via ad immortalem vitam  
 meam. Hæc sit negotiatio vestra: hæc  
 sit sapientia, & fortitudo vestra: hæc sit  
 delectabilissima exercitatio vestra.  
 Accedite ad me, & inæstimabilem dul-  
 cedinem meam in ipso fonte gustate,  
 & eritis leonibus fortiores, aquilis  
 velociore, & facies vestra splendebit  
 sicut sol. Et ego vobiscum habitabo: &  
 splendoribus æternis, ac infinita læti-  
 tia, futuræ gloriæ prænuntia, implebo  
 viscera vestra.

## CAP. X.

*Hortatur ad officia misericordie.*

**I**NDVIMINI filij mei, viscera mi-  
 sericordiæ, & afflictis compati, &  
 succurrere discite. Hæc est requies  
 mea, vt per vos lassæ manus roboren-  
 tur, & genua debilia confortentur.  
 Pauper culis, & contritis corde, tan-  
 quam mihi ipsi subuenite: & ego ipse,  
 qui pauper fui in terra, quam dedi fi-  
 lijs hominum, retribuam ijs, qui in  
 persona egenorum, honorauerunt me.  
 Facite vobis amicos de substantijs ve-  
 stris, vt